



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia  
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De  
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ  
Gratiæ Ad Honesta Opera

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1620**

Cap. XXXVII. Vtrum sit aliquis alius actus virtutis naturalis, seu acquisitæ,  
præter amorem Dei, qui propter difficultatem suam fieri non possit sine  
gratia in statu naturæ lapsæ?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

rium ad perficiendum, & cōstanter exequendum illi, quia hoc adiutorium per se non est ordinis supernaturalis, & t̄ supra vidimus, neq̄ oporteret dari per fidem, sed per naturalia media, vel dispositiones illi statim proportionatas. Quæ omnia maxime procedunt de illo homine priusquam peccaret. Veruntamen etiã peccasset, & postea converteretur ad Deum saltem imperfectè, & prout posset, piè credi potest, non fuisse illi defuturum Deum, vel remittendo offensam, vel iuuando ad perfectius diligendum, & se disponendum ad talem remissionem, vt in materia de Pœnit. disp. 3. sect. 7. notauimus, & notauit Medina dicto art. 2. circa finem.

9. *Progreduur ad explicatioem eiusdem iustitiæ.*

Quamuis ergo concedamus, naturale præceptum de dilectione Dei de se obligare ad absolutum, & efficacem amorem Dei super omnia, posset ab homine constituto in puris naturalibus impleri, non per solas vires naturæ, sed cum aliquo adiutorio Dei modo explicato. Neq̄ hoc excedit statum purorum naturalium, vel illum destruit, nam ille status, vt in lib. 1. dixi, excluderet ordinationem ad finem supernaturalem, & consequenter etiam omnia dona gratiæ supernaturalis excluderet, non tamen esset aliena ab illo statu ornatisima Dei prouidentia, qua & reddit conuenientia premia bene operantibus, sicut reddit supplicia peccantibus, & subuenit indigentibus, præsertim facientibus, quod in se est, & vnicuique eorum prouidet iuxta suam capacitatem. Neq̄ n. putandum est, in naturali prouidentia, etiam sanctissimo ordine gratiæ, non fuisse futurum discrimen inter rationalia, & irrationalia, nã quod Paul. dixit, *Nūquid de bobus cura est Deo*, vtq̄ comparatione hominis, verum est, non solum de hominibus per prouidentiam gratiæ gubernatis, sed etiam de illis sub solo ordine prouidentiae naturalis, & ordine ad solum finem naturale constitutis. Quia ad sapientiam, & prouidentiam optimi gubernatoris pertinet, non omnibus eodem modo, sed singulis iuxta vniuersitatisq̄ capacitatem prouidere. Vnde etiam Philosophi cognouerunt, Deum perfectiori modo habere curam hominum, quam brutorum, & inter homines peculiari beniuolentia prosequi colentes se, & honestè viuētes. Igitur intra latitudinem huius prouidentiae contineretur adiutorium illud ad diligendum Deum perfectè intra ordinem naturæ, & ad alia media præstada, sine quibus naturalis beatitudo obtineri non posset. Quibus consentanea est illa sententia Arist. i. Ethic. c. 9. *Si aliquid aliud Deorum est munus hominibus, eo q̄n̄ a nemine est ratio nisi, & felicitatem ab ipis dari, & eo magis, quod ceteris humanis bonis est præstabilis.*

CAPVT XXXVII.

*Vtrum sit aliquis alius actus virtutis naturalis, seu acquisitæ præter amorem Dei, qui propter difficultatem suam fieri non possit sine gratia in statu naturæ lapsæ?*

1. *Cur de natura lapsæ illam in præstati tractetur.*

**H**æc quæstio locum non habet in natura integra, nam cum dictum sit, in eo statu potuisse hominē suis viribus diligere Deum authorem naturæ super omnia, & potuisse omnia præcepta naturalia seruare quouis tempore, & omnia peccata contraria vitare; manifestum est, nullum posse signari op̄ virtutis naturalis, quod in eo statu fieri non posset viribus liberi arbitrii, quia extrinsecæ difficultates graues, seu insuperabiles alienæ erāt ab illo statu, difficultas autem intrinsecæ in nullo actu maior reperiri potest, quam in amore Dei super omnia, & absoluto proposito seruandū omnia præcepta. Statum autem purorum naturalium statui naturæ lapsæ quoad hoc æquiparamus, vt satis ostendimus, & ideo de solo statu naturæ lapsæ in hoc puncto tractamus. Ratio ergo dubitandi esse potest, quia D. Tho. singulariter de solo actu dilectionis Dei super omnia dixit, nō posse fieri ab homine lapsō sine gratia; ergo sentit, hoc esse singulare in illa propter specialem difficultatem eius. Præsertim,

*Argumentum pro sententia D. Thom.*

quia statim in art. 4. & 8. docet, singula præcepta naturalia seruari posse, seu vitari singula peccata illis contraria, licet non omnia collectiue, sine gratia, nullūq̄ excipit, seu quasi supponit exceptionem factā de sola dilectione; ergo exceptio firmat regulam in contrarium, vt propter nullum singularem actum sit necessaria gratia. Accedit tandem, quod in ipso amore difficultas ostenditur tanta difficultas, quæ moralem impossibilitatem inducat, & ratio, qua eadem illam ostendimus, in solo amore super omnia locum habet; ergo signum est, hanc necessitatem propriam esse illius amoris.

In contrarium autem est, quia multi, & graues authores extendunt hanc necessitatem ad quacunq̄ opera virtutis mediocrem difficultatem habentia, & præsertim indicant Bellarm. Vega, & alij supra allegati circa victoriam grauium tentationum. Numeratq̄ solent actus sequentes. Primo actus poenitentiae, qui sit perfecta detestatio de peccato, præsertim propter Deum, nam hic actus haberi non potest sine gratia, cum sit quædam contritio. Nam etiam attritio, & dolor ex timore non potest sine gratia fieri, vt docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. & sess. 1. cap. 4. ergo multo minus detestatio ex amore Dei poterit fieri sine gratia. Secundus est actus amoris proximi, quem ex præcepto naturali tenemur diligere, sicut nos ipsos, quod valde difficile est, quia hic amor includit illa duo præcipua, quacunq̄ vultis, vt faciant vobis homines, hoc facite illis, Matth. 7. & Quod tibi non vis, alteri non facias. Tobiae 4. in quibus lex ferè tota posita est, vt Christus dixit: propter quod dixit Paulus ad Roman. 13. *Qui diligit proximum, legem impleuit. At verò nemo potest implere legem sine gratia; ergo neq̄ hanc dilectionem habere.*

2. *Pars affirmat Garsii exempli suadetur.*

1. *Exempli de actu poenitentiae.*

2. *De actu amandi proximum absolute.*

Tertius, & difficilius actus est dilectio inimicorum: nam cum illam commendaret Christus Matth. 5. dicit illam non carituram mercede apud Patrem; significans semper esse actum dignum mercede supernaturali, ac subinde ex gratia. Vnde subtingit. *Si diligatis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, nonne, & ethnici hoc faciunt?* quati dicat, dilectionem amicum posse ab ethnicis fieri, quia est accomodata naturæ, dilectionem autem inimicorum adeo esse difficilem, vt per naturam fieri non possit, & ideo in ethnicis, & publicanis non inueniri. Vnde Hieronymus sibi dixit, *multos imbecillitate sua non sanctorum viribus præceptum illud est. manes putare illud esse impossibile, quia diligere inimicum plus est, quam humana natura patitur.* Quibus ipse virtute respondet, *Christum non impossibile, sed perfectè præcipere: quod exemplis Sanctorum confirmat.* Vnde virtute concedit, illa tantum esse possibile per vires sanctorum, quæ sunt vires gratiæ. Amor autem inimicorum moralis, & naturalis est, & cadere potest sub præceptum merè naturale.

3. *De speciali actu amandi inimicos.*

Quartum exemplum esse potest de obseruatione continentiae, de qua Sapient. 8. dixit Sapient. Sciuit, quoniam aliter non possum conueniens, nisi Deus deus, & hoc ipsum erat sapientia, siue cuius esset hoc donum. At continentia moralis actus est, nam de continentia castitatis intellexit illum locum Augustin. lib. de Continent. cap. 17. & epist. 89. q. 2. & epist. 95. & 130. ergo aliquis specialis actus moralis est impossibilis sine gratia. Quin etiam dicitur hæc difficultas in custodia virginitatis, quæ licet non sit sub præcepto, nihilominus est actus moraliter bonus, & ex obiecto suo naturalis, & nihilominus haberi non posse sine gratia, significauit Paul. 1. ad Cor. 7. dicens esse donum Dei, & Christus Matt. 19. dicens, *Nō omnes capiunt hoc verbum, sed quibus datum est, vt ponderauit Augustin. in lib. de Continent. cap. 1. & lib. de Gestis Palæstinis cap. 10. aliàs 13.* Sexto adiungi etiam hic potest professio paupertatis voluntariæ, quæ licet sit actus naturalis, & moralis, licet non sit sub præcepto, sed sub consilio, quæ ratione naturali cognosci potest, & nihilominus fieri potest per naturales vires, nam propter illud dixit Christus Matt. 19. *Apud homines*

4. *De custodia castitatis.*

5. *De speciali custodia virginitatis.*

6. *De actu paupertatis.*

7. De profusione vite pro non peccando contra legem naturalem.

5. Assertio generalis bipartita.

Vnde probatur posterior, quæ simpliciter attendenda est.

6. Discutitur exemplum de penitentia in n. 2. aliam.

Aluar. d. 51. c. 52. Vazq. tacito Molinano. m. 1. 2. d. spirit. 194. c. 4. n. 29. c. 5. sequentibus. Notatio pro resolutione, non agit in presenti de penitentia, quæ sine sacramento, vel cum illo est sufficiens ad gratiam.

nes hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibile sunt. Tandem asseritur potest in exemplum actus etandi vitam pro non violando vno præcepto naturali: nã hoc ipsum est consentaneum rationi naturali ac subinde est actus ex suo genere naturalis, & nihilominus fieri nõ potest sine auxilio gratiæ, vt videtur indubitatum. In hoc puncto breuiter dico, aliquos esse posse actus morales, & ordinis naturalis, qui propter difficultatẽ suam fieri non possint cum pura, & integra honestate morali sine auxilio gratiæ, hanc verò difficultatem semper reduci ad alteram ex duabus supra tractatis, quæ sunt aut difficultas ex grati tentatione proueniens, aut diuturna perseverantia cum vniformitate bene operandi, vel in executione facta, vel obiectiua propolita, vt actu absoluto, & efficaci ametur. Si verò neutrum ex his impedimentis interueniat, non erit necessaria gratia ad aliquem singularem actum naturalem, & moralem bonum, aliquando, vel saltem probreui tempore faciendum. Priorem partem de actu difficili altero ex illis duobus modis probant, quæ supra de necessitate gratiæ ad vincendam tentationem grauem, & ad diligendum Deum finem naturæ actu perfecto, diximus. Et eam confirmant exempla adducta, vt magis statim declarabimus. Posteriorem verò partem suadent priores rationes dubitandi. Et præterea quia actus naturalis non est per se impossibilis viribus naturæ, sed ex accidenti propter impedimenta occurrentia, vt supra ostensum est, hæc autem impedimenta nulla esse possunt, nisi aut tentationes graues ortæ, vel adiutæ ab inordinata concupiscentia, aut tanta continuitas, & perseverantia bene operandi, vt moraliter excedat vigilantiam, & constantiam humanæ diligentie in corpore mortali, & suis viribus relicto, neq; alia radix huius difficultatis hætenus est ratione inuestigata, aut exemplis ostendi potest. Imò si quis rectè consideret, etiam posterior difficultas, quæ est in diuturna boni operatione, præuenit quodammodo ex tentationibus occurrentibus, quæ vel affectum, vel considerationem ab honestate auertunt, solum est differantia, quod prior difficultas prouenit ex singulari tẽtatione graui, posterior verò potest esse sine huiusmodi tẽtatione graui, licet non contingat sine successione plurium mediocriũ, quarum victoria ipsa continuitate grauis, & difficilis redditur. Quæ omnia discurrendo per exempla adducta clariora fiunt.

Primum erat de actu contritionis, vel attritionis, quem in substantia esse naturalem, si ex naturali motu concipiatur, & ideo viribus naturæ sine auxilio gratiæ fieri posse, multi Theologi docuerunt, vt tractauimus in 4. to. disp. 3. sect. 6. quorum sententiam defendere, & approbare visus est Molina in Concordia q. 14. art. 13. disp. 14. ferè per totam, quem in hac parte acriter moderni impugnauerunt. Veruntamen quia de hoc puncto dixi in citato loco de Penit. sect. 7. & quia non habet nouam difficultatem ad hunc locum pertinentem, breuissimè illud expediam. Primum enim supponimus, non esse sermonem de actu penitentie, qui esse possit sufficiens dispositio ad gratiam, seu (quæ perinde est) qui fiat, sicut oportet, ad iustificationem consequendam. Nam de hoc actu certum est, esse ita super naturalem, vt non possit fieri sine auxilio gratiæ, idem enim apertè definit Concil. Tridentin. sess. 6. cap. 5. & canon. 3. & sess. 14. cap. 4. & probatum est latè dicta disp. 3. sect. 6. Quod aliqui limitant ad illum actum, qui est sufficiens dispositio ad gratiam extra sacramentum, quæ sola est perfecta contritio. Veruntamen locò verius est, etiam actum penitentie, qui tantum est sufficiens dispositio ad gratiam in sacramento, quam Concilium vocat contritionem imperfectam, & nos vocare possumus attritionem Christianam, haberi non posse ex viribus arbitrii sine speciali Spiritus S. auxilio. Id enim multò magis est consentaneum Concilio Trident. sess. 14. cap. 4. & sequitur ex generali principio, quod nullum opus conducat ad salu-

tem fieri potest sine auxilio gratiæ. Et præterea hoc latè disputatum est, & probatè dict. 4. to. disp. 5. sect. 1. & 2. Quomodo autem hi actus sint supernaturales, & an circa eadem obiecta materialia, vel formalia possint fieri aliqui actus naturales sine auxilio gratiæ, tractandum est in libro sequenti. Hæc ergo omnia ad præsentem disputationem non referunt, sed præmittenda necessario fuerunt, ne quis nominibus contritionis, & attritionis confundatur, & ad damandas probabiles, vel etiam veras opiniones moueatur.

In præsentem ergo solum tractandum est de penitentia, seu detestatione peccati, quatenus præcisè est contra legem naturæ, & quatenus ex aliquo modo naturali potest displicere: tunc enim tam materiale, quam formale obiectum naturalis ordinis est. Sic autem communis opinio est dari posse actum naturalem penitentie sine auxilio gratiæ, vt probatum in dicto tom. 4. disp. 3. sect. 7. quia non est maior ratio de hoc actu generatim sumpto, vt loquimur, quàm de communibus actibus aliarum virtutum acquisitarum. Et præter antiquiores Scholasticos, qui fortasè in hoc excesserunt, ex modernis id pro comperito habent Caietanus, Soto, Cano, & alij, quos citato loco retuli. In hoc autem ordine naturalis penitentie distingui potest quædam perfecta, & alia imperfecta. Perfecta erit, detestatio absoluta peccati propter Deum summè dilectum, omnis vero alia ex alio motiuo, vel alio inferiori modo concepta, erit imperfecta. Priorem vocant aliqui naturalem contritionem, seu acquisitam vt Soto in 4. d. 17. q. 2. art. 5. & ita etiam videtur loqui Molina supra. Alij vocant attritionem, vt Scotus, & Caietanus. Sed priores loquuntur per comparationem ad naturalem penitentiam imperfectam, & nomina actuum penitentie infuse accommodant cum proportione ad actus penitentie acquisite; posteriores autem generaliter vocat attritionem omnem dolorem peccati, qui non formatur charitate infusa vel habituali, vel actuali, re tamen vera prout ille voces nunc significat dispositiones ad gratiam, actus ille nec contritio est, nec attritio, neq; ita est vocanda simpliciter, sed cum addito naturali, seu acquisita attritionis, quamuis inter doctos, vbi de re constat, non sit de vocibus contendendum.

De hac ergo penitentia perfecta in ordine naturali dicendum est, esse actum naturalem, & per se non excedere vires phylicas liberi arbitrii. Hoc facillè probatur ex dictis de amore, nam hic actus est effectus illius amoris per se necessarius, vt amor sit verus, & efficax, si præcessit Dei offensam. Vnde licet intentio, & electio finis sunt eiusdem ordinis, & virtutis, ita etiam hic dolor de peccato propter amorè Dei est eiusdem ordinis naturalis cum ipso amore, ac proinde per se cadit sub naturalem facultatem voluntatis. Et quoad hoc vera est communis opinio Theologorum de contritione acquisita, seu naturali, si tantum consideretur in ordine ad principium proximum per se, seu physicum: nam de hoc principio ratio facta conuincit. At vero si sermo sit de possibilitate morali, quæ sit etiam in homine lapsò, sic idem sentendum est de hac penitentia, quod de amore naturali. Nam vt sit in suo ordine perfecta, debet includere propositum nunquam amplius offendendi Deum, eius mandata violando, & ideo sine auxilio speciali non potest esse magis absoluta, & efficax, quàm ipse amor, sed ad summum haberi potest cum illa conditione, seu limitatione, propono vitare peccata, quantum in me est, & cetera. Et hoc solum videtur sentire Authores supra citati, præsertim recentiores, vt Medina, Bannes, atq; etiam Molina.

Aliqui vero, qui impugnat Molinam, etiam huiusmodi actum sic limitatum negant fieri posse per vires naturæ, quia impossibile est, quin sit efficax ad obseruanda omnia mandata, & vitandum omne peccatum, saltem pro illo instanti, quo talis actus fit, vel pro tempore, quo durat ipse, aut virtus eius. Sed hoc nullum incon-

7. Provenit ex dicto exemplo penitentia, vnde probatur.

8. Provenit.

Proximi penitentia, restricta.

9. Aluar. lib. 6. disp. 52. in probationibus primæ conclusionis, vbi in præcedenti articulo Molinam impugnat.

inconueniens est. Quis enim negauit vnquam, posse hominem lapsum per rationem, & liberū arbitrium vitare omne peccatum pro aliquo instanti, aut breui tempore, præsertim, quando nulla grauis tēratio vrget? Quicunq; enim bene operatur, quamdiū sic operatur, non peccat; potest autem homo lapsus interdū bene operari per suam libertatem, & consequenter pro tunc non peccare, quid ergo mirum, quòd dum quis dolet de peccato propter Deum naturaliter dilectum, necessariò pro tunc non peccet? Nullus ergo negat, quin talis dolor sit efficax ad impediendū peccatum, quamdiū ipse durat. Sed quia hæc efficacia est tantum ad instans, vel ad breue tempus, pro quo talis actus, vel virtus eius durare possit, idè non dicitur simpliciter efficax, neque omninò absolutus, vt satis suprâ de amore declaratum est.

10. Et hinc à fortiori constat, pœnitentiã ex motiuo naturali imperfecto, vel minis perfecto posse fieri viribus naturalibus. Hoc patet rationibus factis, quia si motiuum naturale est, species actus est naturalis, & ex hac parte possibilis physicè per vires naturæ: aliud verò potest esse actus talis, vt in eo propter imperfectiorem eius esset moralis difficultas, vel impossibilitas; ergo talis actus erit simpliciter possibilis. Et inductione declaratur, nam potest esse dolor de peccato adulterij, v. g. solum propter turpitudinem, quã habet contra rationem naturalem, quod motiuum naturale est, & potest asserri eo tempore, quo homo actum non sentiat repugnantiam, nec propensionem ad talem actum; cur ergo non poterit talis actus fieri aliquando per vires liberi arbitrij, sicut potest fieri alius actus moraliter bonus? Negemus talis actus esse sufficiens dispositio ad gratiam, etiam cum sacramento, quia non esset attritio Christiana, seu ex motiuo supernaturali, de qua Concilium loquitur, vt in citato loco explicauimus. Idem à fortiori verum est de dolore minus perfecto ex inferiori motiuo, vt si quis doleat de peccato propter infamiam, ægritudinem, vel alia damna inde contracta: nam hic dolor, licet ex obiecto formali videatur inuiseris, potest bene moraliter fieri ex honesto fine, idemq; est de similibus.

11. Solum oportet aduertere, etiam in hoc ordine imperfectæ pœnitentiæ naturalis posse esse aliquem actum, qui sit absolutus, & efficax, includatq; propositum non violandi amplius legem naturalem, vt hereticus fide humana credens pœnas inferni, si illas etiam naturaliter odio habeat, & fugiat ex vi naturalis amoris, quem ad se habet, etiã poterit desistat peccatum ex timore illarum pœnarum, quæ detestatio, si esset efficax, includeret absolutum propositum amplius non peccandi. Hunc autem gradum perfectionis, etiam in illa specie, attingere non potest sine auxilio gratiæ, propter ea, quæ suprâ diximus de amore, non tantum amicitia, sed etiam concupiscentiæ, eadem enim ratio in præsentia locū habet. Vnde tandem concludimus, nullum actum pœnitentiæ naturalis esse absolutè impossibile sine viribus gratiæ, nisi in quo eadem difficultas, quæ in amore Dei naturali, & super omnia inuenitur, propter inclusum propositum non violandi amplius legem naturalem.

12. Secundum exemplū erat de amore proximi, quod eadem proportione expediendum erit. Nam dilectio proximi, quædam est supernaturalis, qua tenemur diligere proximum, vt confortem eiusdem beatitudinis supernaturalis, quæ dilectio ad multò plura se extendit, quàm dilectio merè naturalis, & idè certum est, non posse haberi sine auxilio gratiæ, & de illa maximè loquitur Scriptura, & Patres, illa verò dilectio non pertinet ad præsentem disputationem, quia supernaturalis est, vt in sequentibus dicā. Alia verò est dilectio proximi ordinis naturalis, quæ proprie præcipitur lege naturali. Quanquam sit controuersia, an præceptum naturale in rigore obliget ad internum actum dilectionis erga proximum, generatim volèdo illi bonum, vel satis sit quandoquicunq;

necessitas occurrerit, bene facere proximo, vel illi nocere, &c. Quidquid verò sit de præcepto, certum est illum actum dilectionis esse possibilem, & honestum: De illo ergo dicimus in primis, actum illū physice possibilem esse per vires liberi arbitrij, quia est in sua entitate, & specie naturalis, & elicitur ex motiuo humano proportionato rationi naturali. Deinde dico, hunc amorem sæpe esse non tantum possibilem, sed etiam facilem naturali facultati. Quod non intelligo de amore impudico, vel alia ex causa irrationabili; sed de amore honesto, & rectæ rationi consentaneo. Vt patet in amore inter parentes, & filios, vel inter fratres, aut alios consanguineos, vel de amore inter amicos, de quo etiam Christus loquitur, cum dicit, etiam ethnicos, & publicanos diligere diligentes se Matth. 5. Et similiter dixit Gregor. hom. 27. in Euang. huiusmodi amorem sponte naturæ impendi. Cum ergo natura iuuet, & ratio non repugnet, imò etiam idem dicit, mirum non est, quòd possit & naturaliter, & facile haberi, etiam honeste, quia non semper occurrit occasio, vel grauis tentatio, quæ ad excessum, vel defectum in hoc amore inclinet.

Tandem addo, aliquando posse hunc amorem esse tam perfectum, vel difficilem, vt sine auxilio speciali gratiæ haberi non possit. Hoc probant quæ num. 8. & 10. in simili de amore Dei naturali indicata sunt. Nam in primis potest hic amor esse vniuersalis ad proximos, & cum proposito seruandi omnia præcepta naturalia ad illos pertinentia: hoc autem propositum efficax, & absolutum non potest per vires naturæ fieri; ergo nec amor perfectus illud propositum includens, iuxta illud Pauli Rom. 13. Qui diligis proximum, legem impleuit. Minor probatur, quia non potest homo lapsus suis viribus implere totā legem Decalogi, etiam quoad præcepta secundæ tabulæ præcise, & collectiue sumpta, nam occasiones peccandi sæpius in illis occurrunt, & concupiscentia, & amor sui illis præcipue repugnat. Vnde impossibilitas huius amoris reducitur ad illā, quæ est in amore Dei, præsertim quia amor iuteger erga proximum vix potest etiam in ordine naturali seruari vel sine amore Dei, vel saltem sine tanto amore ad naturalem honestatem propter se ipsam, vt possit iuuare ad vincendas omnes difficultates, quæ in amore erga proximum occurrunt. In quo etiam considero, in hoc amore sæpe quidem peccari propter defectum, minus diligendo, quàm ratio postulet, non rarè verò etiam peccari per excessum, & idè propositum honeste, & cum debita mensurā amandi proximum tātā perfectionem, & difficultatem includit ex parte obiecti, vt in natura lapsa sine auxilio gratiæ haberi non possit.

14. Idem dicendum censo de amore inimicorum, de quo tertium exemplum proponebatur. Nam si sit sermo de amore inimicorum in vniuersali cum dicta perfectione volendi ad inimicum seruare omnem dilectionem, & beneficentiam, quam lex naturalis iubet, hic actus includit fere totā difficultatem explicatam in amore proximi, & addit illam, quæ oritur ex inimicitia, & appetitu vindictæ. Qui appetitus, moraliter loquendo, inducit semper tentationem grauem illi amori contrariam, & ita hæc difficultas ad duo capita supra memorata reuocatur. Si vero loquamur de amore huius, vel illius inimici in particulari, tunc considerare oportet & grauitatem inimicitia, & modum amoris, vt de possibilitate eius possit ferri iudicium. Nam si inimicitia sit leuis, id est, in causa minoris momenti fundata, interdum poterit sine magna difficultate propter rationes humanas, siue honestatis, siue commodi sola libera voluntate deponi: si vero inimicitia sit in graui iniuria fundata, illud erit longe difficilius, & regulariter fieri non potest sine auxilio gratiæ, si fiat propter solam honestatem, quia illa est quædam victoria grauis tentationis, præsertim si amor sit iuteger, & absolutus, nam si esset solum in aliquo particulari, & leui beneficio

De præcepto amore proximi pronuntiatum.

2. pronuntiatum.

13.

1. pronuntiatum, seu obiectio prædictorum.

14.

Expediunt 3. exemplum in nam 3. ad instar præcedentis.

ficio, poterit non reputari grauis victoria, sed modica, quæ interdum haberi potest sine speciali auxilio gratiæ. Quæ omnia procedunt de amore inimici ex solo motu naturali, nam si inimicus ametur propter Deum, iam amor erit supernaturalis, & per se ad ordinem gratiæ pertinens, & in illo etiam ordine, propter circumstantiam inimicitie, specialius auxilium postulat. Et de hoc amore inimicorum Scriptura, & Patres præcipue loquuntur.

15. Circa 4. exemplum in nam 4. postum, tria expedienda per varias etiam pronuntiat. x. de vno vel altero continendi auct.

16. x. de obseruantia perpetua.

Id tamen efficaciter non probatur loco Sapien. 8.

17. Literalis sensus loci prædicti.

Quartum exemplum erat de continentia, & in eo potest esse sermo, aut de vno, vel altero actu singulari continentie, aut de perpetua obseruantia continentie sine graui peccato contra castitatem, aut de vno singulari actu propoſiti absoluti, & efficacis seruandi perpetuam castitatem. De primo nulla est hic noua difficultas: nam hic est quidam actus moraliter bonus, & sequitur regulam aliorum. Nam si occurat occasio eius sine graui tentatione, aut difficultate, fieri poterit talis actus sine speciali auxilio gratiæ; si verò adiungatur grauis tentatio, non poterit. Solum est peculiare in illa materia, quòd in ea frequentiores solent esse tentationes, & grauiore propter internum concupiscentiæ fomitem.

Vnde in secundo puncto Augustinus in locis ibi citatis aperte sentit, non posse continentiam illo modo diu seruari sine auxilio gratiæ, & idem habet Prosper contra Collator. cap. 36. quam sententiam etiam moderni authores sequuntur Soto lib. 1. de Nat. & Grat. cap. 21. Vega lib. 11. in Trident. cap. 20. & q. 12. de Iustificat. & Bellarm. lib. 5. de Grat. & lib. arbitr. cap. 5. & 7. Qui fundantur in loco Sapien. 8. supra relato. Sed hic locus alias habet expositiones, propter quas non satis probat illam sententiam. Augustinus enim sapè illum exponit de continentia, non in sola materia castitatis, sed generalius in omni materia, ad quã extenditur concupiscentia, quæ in honoribus, in vincta sumenda, & alijs similibus verſatur. Vnde includit victoriam totius concupiscentiæ, & fomitis peccati, & obseruantiam omnium præceptorum naturalium saltem secundæ tabulæ, ideoq; de tali continentia certissimum est, *netnem posse esse continens, nisi Deus dederit*, quod Sapiens dixit, & de hac continentia exponitur ab Augustino 10. Confession. cap. 29. sic enim ait, *Da quod iubes, & iube quod vis. Imperas nobis continentiam, & cum scirem (ait quidam) quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat Sapien. 8. scire cuius esset hoc donum. Per continentiam quippe coligimur, & reagimur in vnum, a quo in multi a defluximus, minus te amas, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Vbi aperte exponit de continentia ab omni inordinato amore creaturarum. Vnde subiungit in c. 30. iubes certe, vt contineant a concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & ambitione seculi, quod profectur per totum caput 31. Et eandem expositionem indicat lib. 4. cont. Iulian. cap. 3. & lib. 2. de Peccator. merit. cap. 5.*

Accedit, quòd si in rigore verba Sapien. ad literã exponamus, non videtur ibi Sapiens loqui de virtute continentie siue speciali, siue generali, sed de dono conseruandi, & retinendi sapientiam semel adeptam. Continere enim interdum significat idem, quòd abstinere, seu moderatè, ac temperatè agere, aliquando verò significat idem, quòd obtinere, & cõpotem fieri rei desideratæ, sicut dicitur Ecclesiast. 6. *Inuestiga illam (scilicet sapientiam) & manifestabitur tibi, & contineas factus, ne derelinquas eam.* Et cap. 15. *Qui continens est iustitiam, apprehendet illam.* In hac ergo significatione posteriori videtur loqui Sapiens in alio loco; explicauerat enim, quanto desiderio quæreret sapientiam, dicens, *Circuibam quærens, vt mihi illam assumerem.* Et postea subiungit, *vt scius quia non possum esse continens, vtique eiusdem sapientie, nam de castitate, vel concupiscentia nullus præcesserat sermo. Et verba etiam sequentia hoc declarant, Et hoc ipsum erat Sapien. 8. scire cuius esset hoc donum, vtique sapientie.* De quo item subiungit

adiisse Dominum ad petendum illud, petitiõ autem fuit quæ cap. 9. subiungitur. *Da mihi Domine sciam tuarum absinthem sapientiam.* Itaque hic est sine dubio sensus literalis communiter iam receptus, vt ibi notat Lotinus.

Nihilominus tamen sententia ipsa applicata ad donum pudicitie vera est, & fortasse melius comprobatur ex illa oratione Sapien. Ecclesiast. 23. *Aufer a me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentia ne apprehendant me.* Vt illud locum expendit Augustinus lib. de Gratia, & liber. arbitr. cap. 16. Et ratio est, quia, vt dicebam, materia illa exposita est tentationibus grauius externis, & internis, & valde familiaribus diurnis, ac frequentibus; ergo ita est obseruatiõ difficilis, vt sine auxilio gratiæ per multum tempus integrè seruari non possit. Veruntamen hoc maximè locum habet in hominibus non coniugatis, nam qui matrimonium contraxerunt, & illo vti facillè possunt, iam habent remedium contra concupiscentiam, non tam resistendo illi, quàm ei sine peccato consentiendo, & ideo in illis fortasse contingere potest, vt aliqui possint ex sola honestate naturali castitatem coniugalem conseruare. Nihilominus tamen regulariter, & moraliter loquendo, existimo esse necessarium auxilium gratiæ ad seruandam illibatam castitatem coniugalem, tum corpore, tum etiam mente, quia vix potest contingere, vt in illo etiam statu graues tentationes saltem ad internum desiderium, vel morosam delectationem inclinantes, non occurrant. Et hoc etiam suadent verba Sapien. supra allegata, & verba Pauli 1. ad Corinth. 17. *Vnusquisque proprium donum habet ex Deo, vnus sit, alius vero sit, id est, vnus in castitate coniugali, alius in virginali, de hoc enim ibi ad litteram loquebatur. Nec rectè dici potest, ibi donum Dei non significare donum gratiæ, sed vel donum naturæ, vel abstractè quodcunq; donum Dei, quia non solet hæc esse phrasis Pauli, neq; ita intelligitur à Patribus, sed de dono gratiæ, vt patet ex Augustino lib. de Grat. & liber. arbitr. c. 9. & Prosper contra Collator. cap. 36. Verum est Paulum loqui de castitate, vt à Christianis seruatur propter salutem æternam, sub qua ratione est opus pietatis, & ideo manifestum est, non fieri sine auxilio gratiæ. Veruntamen difficultas, & arduitas ipsius operis suadet, etiam secluso ordine ad vitam æternam, auxilium gratiæ postulare, vt propter puram honestatem naturalem nac.*

Atq; ex his facillè expeditur, quòd tertio loco positum est de absoluta voluntate, & proposito seruandi perpetuam castitatem. Dicendum est enim tale propositum, si fit in suo ordine perfectum, id est, omninò absolutum, & efficacax, non posse haberi sine auxilio speciali, quia in illorũ proportione locum habet ratio facta de amore super omnia, quia in suo obiecto includit aliquid moraliter impossibile, vt patet ex proximè dictis. Atq; idem cum proportione dicendũ est de virginitate, nam virginitas quædam perfecta castitas est, & non significat vnum actum particularem, vel limitatum ad obseruantiam virginitatis pro aliquo paruo tempore (hoc enim fieri fortè potest aliquando, sine auxilio speciali) sed includit absolutam virginitatem perpetuam quandam, quæ nec perferatè seruari potest sine auxilio speciali, neq; etiam potest efficaciter proponi sine simili, & proportionato adiutorio. Et in hoc sensu loquitur Christus Matt. 19. & Paulus 1. ad Cor. 7. Et hoc modo quintum exemplum expeditur est.

Sextum erat de consilio paupertatis, de quo cũ eadem proportione loquendum est. Nam paupertas voluntaria non significat vnum, vel alium actum particularem, & ad breue tempus limitatũ, sed includit perpetuam, & propositum efficacax viuendi semper sine proprietate bonorũ temporalium. Imò perfecta Euangelica paupertas includit obligationẽ seruandi talem paupertatem, quæ res est sine dubio valde ardua, & difficilis, & ideo mirum nõ est, quòd sine speciali

